



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo religiose versari in ecclesiis Helena solita est. Cap. XLVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

tis dispertierit, vix enumerari possunt: quippe in alios grādem pecuniarum vim cōferre, aliis corporis integumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis effodiendis afflictos, tum fraude & iniuria oppressos liberare, denique ab exilio alios in patriam reuocare dignata est.

*Quomodo religiose versari in ecclesiis Helena solita est.*

CAP. XLIIII.

**Q**Væ quidem, licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in deum pietatis munera minime neglexit. Nam vbique cernebatur, in ecclesiā Dei intrare, templaq; splendidis exornare monumentis, inque ædes sacras, vel in minimis vrbibus extructas, suam benignitatem ostendere licebat, præterea eam & decoro eximioque apparatu admirabilem, videre sæpe versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus piis vitæ officiis declarare,

*Helena octogenaria cum esset, condito testamento moritur.*

CAP. XLV.

**D**Emum vero cum naturam satietate viuendi expleuisset, & ad meliorem statum euocaretur, octogesimumque ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset, decreuit secum, statuitque coram imperatore filio suo, vnico principe mundi potentissimo, huiusque liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamentum suum facere, & sigillatim nepotibus suis quæ sibi in toto orbe terrarum suppeterent, facultates dispertire. Quibus rebus ad hunc modum cōstitutis, suo filio tanto tamque eximio imperatore, ei ipsi præsto assistente, sedulo inseruiente, & manus illius tenente, finem ita viuendi fecit, vt beatissima quidem, iure optimo, non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem, cum cœlesti & æterna reuera commutare. Animus igitur corporis compagibus solutus, ad immortalem & angelicam naturam, atque adeo ad ipsum seruatorem assumptus est.

*Quam*